



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 726. Usque Ad Annum 813

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1760

VD18 90117859

§.32. Sessio secunda. Epistolæ Papæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66091)

Sæcul. VIII.
A. C. 787.

neos. At eorum Reconciliatio ad aliam Sessionem dilata. Et tunc quidem postquam Patres per modum orationis pro incolumitate Irenis & Constantini acclamassent, discessum est.

§. XXXII.

Sessio secunda. Epistolæ Papæ &c.

Sessio secunda inde post biduum habita, nempe vigesimo sexto Sept. anno septingentesimo octogesimo septimo, iustusque est intrare aliquis Mandatarius Imperatoris, qui adducebat Gregorium Episcopum Neocæsariensem, cupientem reconciliari. Erat is Iconoclastarum celeberrimus, atque inter illos, qui Conciliabulo anno septingentesimo quinquagesimo quarto celebrato interfuerant præcipuus. Tarasio ipsum increpante, quod tam sero resipisceret, fassus est culpam, petiit veniam, eique præceptum, ut Libellum, quo Hæresim abjuraret, in proxima Sessione traderet.

Tum Leontius Notarius monuit, quod in epistolis Imperatoris de epistolis Papæ & Patriarcharum Orientalium mentio fiat; statimque iusserunt Patres, ut legerentur. Primo lecta est versio Græcæ Epistolæ Hadriani Papæ ad Imperatorem & Imperatricem; sed tota non erat descripta. Omissa enim fuerant illa, quæ spectabant ad restitutionem patrimoniorum

Sup. S. 23.

rum S. Petri, & alia Papæ petita, ad Titulum Episcopi universalis Tarasio dati, & imprimis ad ejus Electionem contra Canones factam, cum e statu Laicorum assumptus esset. Nam Græci timebant, ne si ea, quæ in Patriarcha a Sancta Sede reprehendebantur, vulgarentur, Hæretici inde ansam arriperent eidem resistendi, & Auctoritatem Concilii, cui præsidebat, contemnendi. (*) Hinc ultima pars Epistolæ Hadriani Papæ nec in Concilio lecta, nec Actis inserta. Illa igitur Epistola perlecta quæsiuit ex Legatis Papæ Tarasius, an hanc a Pontifice accepissent, qui responderunt, quod eam omnino Principibus reddendam accepissent.

Sæcul. VIII.
A. C. 787.

p. 115.
Anast.

p. 119.

p. 122.

p. 127.

Leçta deinde Epistola Papæ ad Tarasium Patriarcham data. Et Legatis Papæ ex eo quærentibus, an ipsi placeret, Tarasius respondit, Papam in utraque Epistola clare & orthodoxe Traditionem Ecclesiæ explicasse. *Et mihi quidem, inquit, eadem Fides est; adorandas esse Imagines affectu relativo, dum Fidem & Cultum Latriæ soli Deo reservamus.* Patres

G g 2 omnes

(*) Advertendum, a Sacra Sede nullum Episcopum, sed solum Presbyteros missos fuisse. Unde præsumptio est, in mandatis non habuisse, ut præliderent, sed Patriarchæ Constantinopolitani honori aliquid concederent.

Sæcul. VIII.
A. C. 787.

omnes declararunt, in eadem se esse Sententia, & Epistolas Papæ recipere. Joannes Legatus Orientis tam suo quam Thomæ Collegæ sui nomine, tum Agapius Cæsariensis, Joannes Ephesinus, Constantinus Cyprensis, Basilius Ancyranus, Nicolaus Cyzicenus, aliique Episcopi præsentés, numero ducenti sexaginta & unus eandem sibi mentem & Fidem esse professi sunt. Dixit deinde

p. 151. Concilium: *Æquum etiam est, ut admodum Reverendi Monachi Fidem suam confiteantur.* Quærentibus Monachis, an istud Canones præciperent, Tarasius dixit: *Præcipiunt Canones, ut omnes, qui Concilio intersunt, Fidem suam exponant.* Mox Sabas Abbas Studiensis edixit, hanc esse Fidem suam, quam in duabus Epistolis Papa explicasset. Idem confessus est Gregorius Abbas ad S. Sergium, item octo Abbates, & ceteri Monachi omnes. Ita secunda hujus Concilii Sessio finita est.

§. XXXIII.

Sessio Tertia. Epistolæ ex Oriente.

p. 135. Sessio tertia biduo post habita, nempe vigesimo octavo Sept. anno 787. Demetrius Diaconus, & Custos Theauri Ecclesiæ Constantinopolitanæ dixit, Episcopos, ad Communionem Ecclesiæ recipi postulantes ante fores stare cum Libellis